

Ex quo sufficienter intelligitur modus loquendi SS. PP. illam unionem naturalem appellantium, ut excluderent hæresin Nestorii, qui illam conjunctionem per inhabitationem, per affectum, per operationem dignitatem & Authoritatem fuisse assererat.

## DISPUTATIO VI.

*De Unionem ex parte Assumentis & naturæ assumptæ.*

## QUÆSTIO I.

*An & quomodo persona & natura divina conveniat assumere creatam naturam?*

**D**ICO 1. *Propriissime competit persona assumere naturam.* S. Th. hic Q. 3, a. 1. O.

*Probatur:* Assumere is tantum propriè dicitur, qui assumptionis activum principium est, & simul terminus hypostaticè sustentans naturam; atque ita se habet persona divina: persona, enim quatenus habet naturam divinam, est principium activum assumptionis; natura enim est principium & ratio agendi; quatenus verò habet personalitatem, eatenus est terminus naturæ assumptæ eam reddens incommunicabiliter subsistentem.

**DICO 2.** *Esse assumptionis principium convenit naturæ divinæ secundum seipsam... sed esse terminum assumptionis non convenit divinæ naturæ secundum seipsam sed ratione persone, in qua consideratur.* S. Th. loc. cit. a. 2. O.

*Prima Pars probata est Disp. IV. Q. III.*

*Secunda Pars Intellecta de eo, quod de facto est,*

De Un  
est, non ve  
secundum  
naturam cre  
tura secun  
naturam cre  
ed tota Tr  
pens est ha  
sequela: qu  
undum se,  
Objection  
oluz.

An per

DICO.

idem n

naturis, S.

Probatur

nam natura

substantia

batur Maj.

naturam nor

turam, adeo

finita. Dein

recepta in p

stantia pote

potest termi

er & emine

tas; atque

Probatur

le propriar

itate pro

sed utrumq

est, non verò, quod esse possit, quia, an natura secundum subsistentiam absolutam possit assumere naturam creatam, dicitur Q. III. *Probat*ur: si natura secundum seipsam immediatè terminaverit naturam creatam; ergo non sola secunda persona, sed tota Trinitas debet dici incarnata; consequens est hæreticum; ergo & anteced. *Probat*ur Sequela: quia quod convenit naturæ divinæ secundum se, convenit toti Ss. Trinitati.

Objectiones in præcedentibus sunt adductæ & solutæ.

Q U Æ S T I O II.

*An persona creata possit aliam naturam assumere?*

**D**ICO. Non contingit in rebus creatis, quod idem numero subsistere possit diversis essentiis vel naturis. S. Th. hic Q. 2. a. 3. ad 1.

*Probat*ur 1. Subsistentia potens terminare alienam naturam debet esse infinita; sed repugnat subsistentiam creatam esse infinitam; ergo. *Probat*ur Maj. Subsistentia potens terminare alienam naturam non debet esse limitata per propriam naturam, adeoque fit illimitata & consequenter infinita. Deinde debet esse subsistens ut quod & non recepta in propria natura ut subjecto. 3. Subsistentia potens terminare naturam alienam unam potest terminare omnes, adeoque debet virtualiter & eminenter continere omnes subsistentias alienas; atque ita infinita esse.

*Probat*ur 2. Subsistentia creata vel terminaret & propriam & alienam naturam vel desineret terminare propriam naturam terminando alienam; sed utrumque implicat: primum quidem; quia sub-

sistentia creata est complementum essenziale substantiæ à natura suppositata realiter distinctum repugnat autem quod idem complementum sit receptum in duplici subiecto adæquato, uti repugnat eandem formam informare duas materias. Secundum etiam repugnat, quia impossibile est, quod complementum substantiale hujus naturæ separaretur ab hac natura & separatim ab ea existat: quia de essentia hujus complementi substantialis est complere hanc naturam substantialem, cujus est complementum.

*Obj.* Subsistentia infinita ratione perfectionis infinitæ potest suppositare quamlibet naturam creatam; ergo poterit subsistentia finitæ perfectionis saltem aliam præter propriam naturam suppositare.

*sz.* Negando Conseq. Quia ut aliam naturam reddat subsistentem, non debet subsistentia esse limitata & consequenter deberet esse infinita,

### Q U Æ S T I O III.

*An una persona divina possit assumere aliã non assumente, & an secundum subsistentiam absolutam?*

**S**uppono ex prima Parte Disput. XX.Q.III. in Deo præter subsistentias relativas, dari subsistentiam absolutam tribus personis communem, cujus munus est divinam naturam, non quidem incommunicabiliter, sed independenter ab alio existentem & principium quod actionum sanctissimæ Trinitati communium constituere; cum enim natura divina operetur & actiones sint subsistentium, etiam debet natura divina secundum se aliquam subsistentiam habere.

DICO

De Un  
DICO  
commune es  
at rationem  
un aliã, S.  
na sine alia  
tionis, pot  
maliter un  
Prima P  
esse causam  
personæ rati  
convenit pe  
tionis comu  
conveniat a  
em, in quo  
Secunda  
quod de fac  
non persona  
tum est, qu  
naturam te  
ita eandem  
Obj. Ne  
lin est incar  
& Spiritu s  
ctus est inca  
r. Disti  
se & prædi  
immediatè  
Con. Perfo  
tis, natur  
nec est na  
in persona  
filiationis  
Filio,  
DICO  
passimus a

DICO 1. *Id, quod est actionis in assumptione, commune est tribus personis; sed id, quod pertinet ad rationem termini, convenit ita uni personæ, quod non alii.* S. Th. hic Q. 3. a. 4<sup>s</sup> O. Sive una persona sine alia non potest esse causa efficiens incarnationis, potest tamen una persona sine altera formaliter uniti naturæ creatæ.

*Prima Pars probatur:* Quia secundum dicta, esse causam efficientem assumptionis convenit personæ ratione divinæ naturæ; atqui quidquid convenit personæ ratione naturæ, est tribus personis comune, nec potest uni convenire, quin etiam conveniat alii; cum illud solum sit personis proprium, in quo relativè opponuntur; ergo.

*Secunda Pars probatur à posteriori:* De fide est, quod de facto sola persona Filii sit incarnata, & non persona Patris, aut Spiritûs sancti; ergo certum est, quod una persona sine alia possit creatam naturam terminare, & reddere subsistentem, & ità eandem assumere.

*Obj.* Non solum persona, sed etiam natura Filii est incarnata; atqui natura est eadem cum Patre & Spiritu sancto; ergo etiam Pater & Spiritus sanctus est incarnatus.

*R.* Distinguendo Maj. Natura Filii secundum se & prædicata absoluta est incarnata N. ut Filii & immediatè secundum relationem est incarnata Con. Persona est immediatus terminus incarnationis, natura verò est terminus tantum mediatus, nec est natura incarnata secundum se, sed ut est in persona Filii, sive ut modificata est relatione filiationis, sicut non est in Patre, sed in solo Filio.

DICO 2. *Abstracta personalitate per intellectum, possumus adhuc intelligere naturam assumentem.* S. Th.

Th. hic Q. 3. a. 3. O. Sive natura divina secundum subsistentiam absolutam potest assumere naturam creatam.

*Probatur* : Omnes rationes, quæ concurrunt in subsistentia relativa, ut Deus ratione illius de facto humanitatem assumpserit, concurrunt etiam in subsistentia communi & absoluta; ergo si Deus de facto assumpserit humanitatem ratione subsistentiæ relativæ, etiam potuit assumere ratione subsistentiæ absolutæ. *Ant. probatur* : idèd Verbum potuit assumere naturam humanam per subsistentiam relativam, quia illa eminenter continet subsistentiam creatam utpote infinita; atqui etiam subsistentia absoluta est in ratione subsistendi infinita, faceretque naturam humanam cum divina conjungi in eodem subsistente, habente esse ut quod independentem ab alio sustentante, & tribueret easdem denominationes, quas modo tribuit subsistentia relativa; verum enim esset: Deus est homo. Homo est Deus. Habens Deitatem est homo. Habens humanitatem est Deus.

*Adverte* : Quod, licet subsistentia absoluta possit esse Deo ratio immediata, per quam terminet vel assumat naturam creatam, si tamen unio fieret immediatè ad prædictam rationem, extenderetur necessariò mediatè ad subsistentias relativas & in eis incommunicabiliter subsisteret, & consequenter natura assumpta non solum prædicaretur de Deo, sed etiam de ipsis personis; ita ut non esset solum verum dicere; hic homo est Deus, sed etiam Pater est homo: quia omnia, quæ conveniunt Deo secundum rationem absolutam & communem, conveniunt omnibus personis; ergo si Deus assumeret humanitatem ratione prædicati absoluti, non posset unio sistere in tali prædicato, sed se extende-

De U  
tenderet a  
prædicati a  
ellet perso  
in subsister  
ous vi illor  
uniret ultir  
bus person  
retur Pater  
homo, &  
Obj. 1.  
sibilis unio  
nisi vel in  
Deo ration  
nata, nec  
est impossil  
tia absoluta  
Deum pers  
nis esset pe  
personis di  
& Dist  
unio substa  
in persona  
nam propr  
cum illa D  
subsistens t  
tam cum pe  
solum poss  
ad persona  
extenditur  
diatè vel  
Obj. 2.  
tam huma  
stentia pre  
non potes  
ter subsiste

tenderet ad personas, & ita licet talis unio ex vi prædicati absoluti, in quo immediatè fieret, non esset personalis; cum non fieret in persona, sed in subsistente ut *quod* incommunicabili, nihilominus vi illorum, in quibus tandem sisteret, quia uniret ultimò naturam creatam cum divina in tribus personis, hinc ex prædicta ratione constitueretur Pater subsistens in natura humana & verus homo, & idem est de aliis personis.

*Obj. 1.* Juxtà SS. PP. & Concilia non est possibilis unio substantialis naturæ humanæ cum Deo, nisi vel in natura, vel in persona; sed unio cum Deo ratione substantiæ absolutæ nec esset in natura, nec in persona; non in natura: quia illa est impossibilis. Non in persona: quia substantia absoluta non est personalitas, nec constituit Deum personam; aliàs enim hic Deus communis esset persona, & subinde incommunicabilis personis divinis.

*2.* Distinguendo Maj. Juxtà SS. PP. non est unio substantialis possibilis, nisi vel in natura vel in persona, intelligendo ratione personæ personam propriè dictam, & unionem immediatam cum illa N. intelligendo nomine personæ omne subsistens ut *quod* & unionem vel im- vel mediatam cum persona. Con. Dum SS. PP. dicunt unionem solum possibilem in persona, id non restringitur ad personam solum terminantem immediatè, sed extenditur ad unionem in persona terminante mediatè vel immediatè.

*Obj. 2.* Id, quod ex parte Dei assumit naturam humanam, impedit, ne in illa resultet substantia propria vel creata, sed substantia absoluta non potest in natura humana impedire, ne resultet substantia propria: quia per seipsam non potest

test præstare effectus proprios subsistentiæ creatæ; siquidem personalitas creata non præstat solum perfectam sive independentiam ab alio sustentante, sed etiam incommunicabilitatem, subsistentia verò absoluta, licet perfectam conferat non tamen incommunicabilitatem: nam naturam assumptam relinquit ulterius terminabilem per divinas personalitates.

R. N. Mi. Ad cuius probat. dicitur: quod subsistentia absoluta Dei præstat primum effectum subsistentiæ creatæ immediatè, scil. independentiam ab alio sustentante, sive esse ut quod secundarium autem effectum tribuit mediatè: quia natura eo ipso, quo immediatè assumitur ad subsistentiam absolutam, mediatè unitur divinis personalitatibus, in quibus habet esse incommunicabiliter & ultimè terminatum.

DICO 3. *Non est impossibile divinis personis, ut due vel tres assumant unam naturam humanam.* S. Th. hic Q. 3. a. 6. O.

*Probatur:* Si aliqua esset in hoc repugnantia, illa foret vel ex parte personæ assumentis & terminantis, vel ex parte potentiæ obedientialis naturæ assumendæ; non ex parte personæ assumentis: quia illæ de facto simul terminant unam eandemque naturam divinam; non ex parte potentiæ obedientialis naturæ assumptæ: quia illa non habet majorem capacitatem respectu unius quam respectu alterius personæ; ergo non repugnat plures personas assumere eandem naturam.

*Obj. 1.* Eundem effectum dependere à duabus causis totalibus ejusdem ordinis, ut est communis Thomistarum sententia in physica, repugnat: quia ab unaquaque penderet & non penderet, sed si eadem natura subsisteret subsistentiis trium personarum;

De U  
rum; de p  
dem ordi  
quata, in q  
Dist  
merent ean  
ctus quoad  
effectu qu  
N. Explico  
res persona  
tiam, disti  
tem enim r  
sisteret per  
relativæ sint  
diversos esse  
subsistentiis  
quata inter  
tamen non  
modum; q  
dum, que  
prestat; su  
tem ad esse  
nale filii,  
stantia subsi  
tam, differu  
Obj. 2.  
naturæ dar  
queunt illa  
personalita  
bile; ho  
ergo.  
R. Dist  
malis perfe  
cabile, ut  
N. persona  
nec te inv

rum; dependeret à pluribus causis totalibus ejusdem ordinis: nam quælibet substantia esset adæquata, in qua natura subsisteret; ergo.

*R.* Distinguendo *Mi.* Si plures personæ assumerent eandem naturam, dependeret idem effectus quoad substantiam à pluribus causis *Con.* idem effectus quoad modum à pluribus causis totalibus *N.* Explico: in *Catu* humanitatem subsistere per tres personalitates est idem effectus quoad substantiam, distinctus tamen in modo: per paternitatem enim non subsisteret eodem modo, quo subsisteret per filiationem: cum enim ipsæ substantiæ relativæ sint quæ si specie diversæ, tribuunt etiam diversos effectus formales; licet igitur quælibet ex substantiis sit humanitati causa subsistendi adæquata intensivè: id est sufficiens substantialiter, tamen non est adæquata extensivè, & quantum ad modum: quia non quælibet sufficeret quoad modum, quem aliàs secundum propriam rationem præstat: substantia Patris enim trahit humanitatem ad esse Patris, substantia Filii ad esse personale Filii, qui effectus, licet convenient in substantia subsistendi, & suppleant substantiam creatam, differunt tamen in modo.

*Obj. 2.* Plures personalitates non possunt eidem naturæ dare suum effectum formalem; ergo nequeunt illam terminare: quia effectus formalis personalitatis est tribuere alteri esse incommunicabile; hoc non facerent plures personalitates; ergo.

*R.* Distinguendo *probat.* *Ant.*: Effectus formalis personalitatis est reddere alteri incommunicabile, ut personæ extraneæ *Con.* non extraneæ *N.* personæ divinæ non sunt extraneæ, ideoque nec se invicem in terminatione naturæ excludunt, quæ



quæ etiam disparitas est, quod persona increata non possit assumere naturam terminatam personalitate creatâ.

*Obj. 3.* Quod convenit naturæ divinæ ratione suæ infinitatis, hoc repugnat naturæ creatæ; sed terminari tribus subsistentiis relativis, convenit naturæ divinæ ratione suæ infinitatis; quia est infinitè fœcunda. Ergo repugnat naturæ creatæ.

*2.* Terminari tribus subsistentiis essentialiter & naturaliter convenit naturæ divinæ ratione infinitatis Con. obediencialiter N. quia igitur natura divina est infinitè fœcunda, exigit tres relativas subsistentias, natura verò creata ut finita exigit unam subsistentiam; potest tamen de potentia Dei absoluta præter exigentiam naturæ terminari pluribus subsistentiis.

*Obj. 4* Non potest fieri substantialis unio nisi in natura vel in persona; atqui in Casu conclusionis non fieret unio in natura: ut patet, nec in persona, quia aliàs deberet in natura assumente & natura assumpta fieri unitas personæ, quod tunc non fieret: quia maneret Trinitas Personarum.

*2.* Ex S. Th. hic a. 6. Illo Casu humana natura esset assumpta in unitate non unius personæ, sed in unitate singularum personarum, ita scil. ut sicut divina natura est per summam identitatem eadem tribus personis, ita & natura humana haberet unitatem suppositi cum singulis per assumptionem.

*Obj. 5.* Vel illo Casu natura assumpta esset unus homo, vel plures; non unus: quia essent plures personalitates, non plures ob unam humanitatem.

*2.* Cum D. Ang hic a. 6. ad 1. Quod foret unus homo ob unam humanam naturam; sicut enim verum est dicere, quod tres Personæ sint unus Deus ob unam divinam naturam, sic verum est

est

D: U  
est dicere.  
naturam hun  
Colliges.  
naturam hun  
ter. Filius  
dicitur: ne  
na: Hic h  
Filius est  
non est h  
de Filio re  
homo ita sic  
idem in pe  
DICO 4  
præter natu  
dian numer  
Q. 3. a. 7. C  
Probatur  
sine assum  
neque ex p  
naturæ capaci  
naturæ a co  
non repugn  
enim natura  
in vicem dif  
Verbi, mul  
supposito ut  
Obj. Si  
na eademe  
nes, vel unu  
it pro sup  
deinde non  
nes distin  
ere unum l  
2. Quo  
humanas ne  
Pars I

est dicere, quod essent unus homo ob unam naturam humanam. Ex dictis.

*Colliges.* Si tres personæ assumerent eandem naturam humanam, homo tunc rectè diceretur Pater, Filius, Spiritus sanctus, sicut Deus hoc modo dicitur: non tamen ideò valeret hæc consequentia: Hic homo est Pater, hic homo est filius, ergo Filius est Pater, sicut neque valet in Deo: quia non est homo in illo Casu idem cum Patre & Filio re & ratione, sive adæquatè eò quod hic homo ita sit idem in persona cum patre, ut simul sit idem in persona cum Filio.

**DICO 4.** Oportet dicere, quod persona Divina præter naturam humanam, quam assumpsit, possit aliam numero naturam humanam assumere. S. Th. hic Q. 3. a. 7. O.

*Probat.* Id non repugnat neque ex parte personæ assumptæ utpote in terminando infinitæ, neque ex parte naturarum assumptarum: quia licet juxta capacitatem naturalem se excludant, duæ naturæ à consortio ejusdem personæ, attamen id non repugnat juxta potentiam obedientialem: si enim natura divina & humana, quæ infinitè à se invicem distant, possint uniri in eadem persona Verbi, multò magis duæ naturæ creatæ in eodem supposito uniri poterunt.

*Obj.* Si plures humanitates assumerentur ab una eademque persona, vel essent plures homines, vel unus homo; non plures: quia homo supponit pro supposito, non autem essent plura supposita; deinde non esset unus: quia forent duæ humanitates distinctæ & separatæ, quæ non possunt facere unum hominem.

*R.* Quod esset unus homo habens duas naturas humanas non autem essent plures homines: quia ad

multiplicationem nominis substantivi debet & formale & materiale multiplicari.

*Non obstat* : Quod illæ naturæ essent distinctæ & separatæ : cum nulla ex eis sit eadem cum substantia Verbi, idcirco nec mediatè nec immediatè unirentur invicem, sicut de facto in Christo sibi unirentur natura divina & humana, cum natura divina sit eadem cum hypostasi, cum qua unitur natura humana; ex hoc enim non sequitur: quod sint plures homines: quia non sufficit ad multiplicationem concreti substantivi, quod multiplicetur forma, sed insuper requiritur multiplicatio suppositi.

#### QUESTIO IV.

*An alia natura potuerit assumi & natura humana sit magis assumptibilis quam alia?*

**A** Pud omnes Catholicos certum est, quod de facto in unitate hypostasis sola humana natura à divina assumpta sit permanenter, verum duplex hic resolvendum est dubium: Imprimis de naturæ humanæ partibus an & quo ordine eadem à Verbo assumptæ sint de facto. Deinde de possibili, an præter humanam naturam aliæ naturæ tum totales tum partiales à Verbo assumi potuerint.

**DICO I.** *Verbum assumendo partes humana nature assumpsit totam humanam naturam. Et sic assumptio partium est prior in via operationis intellectu, non tempore: assumptio autem natura est prior in via intentionis.* S. Th. hic Q. 6. a. 5. ad 1.

Explicatur & probatur conclusio: Omnes naturæ humanæ partes Verbum assumpsit ut constat ex illo Athanasii: *Verus Deus verus homo, ex ani-*

*ma rationali & humana carne subsistens*: Et quidem anima, corpus ac tota humanitas tempore simul fuerunt assumpta à Verbo, ità ut in uno eodemque instanti, in quo fuit creata anima Christi, fuerit illa in utero B. Virginis unita carni desumptæ ex purissimo Sanguine intemeratæ Virginis obumbrante Spiritu sancto, cui utpote amorì specialiter opera misericordiæ & Charitatis alias toti Trinitati communia attribuuntur, & humanitas ex illis resultans fuit hypostaticè unita Verbo, sed hoc ordine naturæ & causalitatis: secundum intentionem Verbum prius assumpsit humanitatem, quam partes: quia assumptio humanitatis fuit prius intenta, quam assumptio partium: ideo enim sunt assumptæ partes, ut assumeretur humanitas: quia principale intentum in hoc mysterio erat, ut Verbum fieret homo; ex quo sequitur: quod ordine intentionis etiam fuerit prior unio hypostatica humanitatis ad Verbum, quam unio substantialis partium humanitatis inter se: quia unio hypostatica fuit principaliter intenta, & partes humanitatis ideò conditæ & unitæ sunt, ut assumerentur ad Verbum. Secundum ordinem executionis prius sunt assumptæ partes, quam humanitas: quia partes prius naturâ extiterunt & substiterunt, dependebat enim existentia totius humanitatis in Verbo ab existentia partium in Verbo, & non econtra: poterant enim partes humanitatis separatæ in triduo mortis manere unitæ Verbo, non verò tota humanitas poterat manere unita partibus non unitis, ergo in executione naturâ prius assumptæ sunt partes, quam humanitas, & quidem inter ipsas partes prius anima assumpta est quam corpus: quia prius natura substiterit anima in Verbo, quam corpus: cum in generatione Christi, quantum fieri potuit, servatus fuerit

fuerit ordo naturalis generationis hominis, in qua generatione prius existit & subsistit anima rationalis à Deo creata, quæ corpori unita eidem communicat existentiam & subsistentiam.

*Obj. 1.* In generatione naturali prius in executione existit & subsistit totum, quam partes: cum partes non possint existere, nisi in toto; ergo etiam in generatione Christi prius subsistit humanitas, quam partes; ergo etiam prius natura fuit assumpta humanitas, quam partes.

*R.* Distinguendo Antecedens: In generatione naturali compositi materialis prius existit totum, quam partes Con. in generatione hominis N. in generatione hominis forma non educitur è potentia materiæ, sicut educitur in aliis generationibus, sed creatur & creata unitur, atque ità toti tribuit existentiam naturâ prius habitam.

*Obj. 2.* Verbum assumere in executione prius animam quam corpus, aliud nil est, quàm quod Verbum dependenter ab unione animæ assumpserit corpus; hoc autem dici non potest: quia si Verbum dependenter ab unione animæ assumpserit corpus, sublatâ unione animæ tolleretur assumptio corporis, quod patet falsum esse in triduo mortis, in quo non fuit unio animæ cum corpore, & tamen fuit unio hypostatica cum corpore.

*R.* Negando Mi. Ad probat. dico, quod Verbum primitus assumpserit corpus dependenter ab unione animæ, licet postmodum in facto esse manserit unitum hypostaticè cum corpore sublatâ quidem unione actuali animæ, relicto tamen ordine ad animam reuniendam.

*Q. 1.* An Verbum assumpserit sanguinem aliosque humores?

*R.* Affirmativè; probatur: Verbum divinum as-

sumpsit omnes partes pertinentes ad integritatem humanæ naturæ : quia tota humanitas nihil aliud est, quam omnes ipsius partes simul sumptæ; sed totus sanguis cum aliis humoribus, capilli, ungues sunt pertinentes ad integritatem humanæ naturæ (dato etiam quod non informentur animâ rationali, de quo Philosophi in animastica) & primò quidem sanguis: quia sanguis & Spiritus vitales cum sanguine identificati sunt instrumenta necessaria ad plurimas operationes & motus, & certè si Verbum non esset immediatè unitum sanguini, sub speciebus vini non esset per concomitantiam Verbum: illa enim in Sacramento Eucharistiæ sunt per concomitantiam, quæ realiter & substantialiter conjunguntur cum termino primario conversionis, qui in consecratione calicis est sanguis, Alii verò humores reperiuntur in corpore humano permixti sanguine: quare fuisset inconueniens, si sanguis fuisset à Verbo assumptus sine illis humoribus.

*Obj. 1.* Sanguis, maximè nutritivus, non est actu pars corporis humani, sed in potentia tantum, in quantum in carnem est convertibilis. secundò alimentum non est pars aliti; sanguis nutritivus est alimentum; tertio si sanguis sit actu pars hominis, jam in consecratione panis non ponitur concomitanter sanguis, sed per se: cum ad corpus pertineant omnes partes.

*Rz. 1.* Transmissis binis probationibus, eò quod multi Thomistæ admittant sanguinem aliosque humores non informati anima rationali: negatur sequela: quia assumpsit Christus totum, quod ad humanæ naturæ perfectionem pertinet sive sit aliquid humanæ substantiæ, sive non.

*Rz. 2.* Cum aliis ad 1. Quod sanguis sit pars in potentia

tentia respectivè ad alias partes perfectiores & solidas non verò respectu corporis absolutè. *Ad 2.* Distinguo alimentum purè tale non est pars alicuius. *Con.* alimentum proximum, quod simul est instrumentum conjunctum plurium operationum vitalium non est pars *N.* *Ad 3.* Dico: Quod in consecratione panis vi Verborum illæ solæ partes corporis Christi ponantur per se sub speciebus panis, quæ sunt solidæ, non autem, quæ sunt fluidæ, eò quod consecratio panis significet corpus Christi sub ratione cibi, sicut consecratio vini significat sanguinem Christi per modum potus, fluida enim habent rationem potus.

*Ex his sequitur:* Quod sanguis Christi & quidem totus in triduo mortis manserit hypostaticè unitus Verbo; quia partes, quæ pertinent ad integritatem naturæ humanæ habentque ordinem & quasi jus reassumptionis ad corpus in resurrectione Christi, retinebant unionem hypostaticam; sed sanguis & quidem totus in passione effusus pertinebat ad integritatem humanæ naturæ, ergo. Si tamen quædam particulæ non fuerint reassumptæ, illæ in resurrectione non amplius manserunt unitæ humanitati, causa enim ob quam partes Christi in triduo mortis retinerent unionem hypostaticam, erat earundem habitudo & reassumptibilitas ad Corpus Christi resurgentis.

*Obj. 2.* Si Verbum assumpsisset omnes alias partes sicut carnem, ergo sicut caro assumpta prædicatur de Verbo ità etiam posset dici, quod Verbum sit sanguis dens &c. sicut Verbum ratione animæ dicitur descendisse ad inferos, ratione corporis crucifixum, ità ratione sanguinis diceretur effusum, sed consequens est falsum, ergo & antecedens.

**R. N.** Consequentiam : Disparitas est : quod partes principales per Synecdochen dicantur de tota persona hominis, & consequenter prædicata partium principalium dicuntur per communicationem idiomatum de toto Verbo; unde sicut Petrus dicitur sepultus, quia corpus sepultum est, ita etiam Verbum dicitur sepultum, quamvis id soli corpori conveniat; sanguis autem, dens &c. & prædicata iis convenientia non dicuntur de persona hominis, & ideo neque per communicationem idiomatum dicuntur de persona Verbi.

**Q. 2.** An in triduo mortis fuerit Verbo hypostaticè unita forma cadaverica?

**R.** Affirmativè: Quia corpus mortuum in triduo mortis fuit Verbo unitum, sicut & anima, juxta illud Theologorum; quod Verbum semel assumptum, nunquam dimisit; ergo cum corpus mortuum constet materiâ & formâ, quæ in triduo mortis est forma cadaverica, illa etiam fuit hypostaticè unita Verbo.

**Dices 1.** Corpus Christi mortuum & vivum fuit unum numero; ergo non habuit formam cadavericam, alias fuisset specie diversum, quippe sub diversa forma existens.

**R.** Distinguendo Ant. Corpus Christi mortuum & vivum fuit unum numero unitate nature, quam diversificabant forma hominis, & forma cadaveris N, unitate suppositi, in quo videlicet divino supposito successit formæ hominis in eadem materia forma cadaveris Con.

**Dices 2.** Corpus Christi non fuit corruptum juxta illud Ps. 15. v. 10. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem;* Ergo non habuit formam cadavericam.



**R.** Duplex est corruptio : Prima est separatio animæ à corpore, & fide certum est, quod corpus Christi hoc modo fuerit corruptum, altera est perfecta putrefactio seu resolutio corporis in prima Elementa & de hac corruptione locutus est Psalmista loc. cit.

**Dices 3.** Ut dictum est, quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit; ergo si Verbum formam cadavericam assumpserit, eam nunquam dimisit; quod est falsum.

**R.** Sensum Axiomatis esse, quod partes per se intentæ principales pertinentes ad veritatem naturæ humanæ nunquam sint dimissæ, forma autem cadaverica tantum erat forma intermedia per accidens intenta, unde tantum ad tempus assumpta fuit.

**Dico 2.** *Dicitur aliqua creatura non esse assumptibilis, non ad subtrahendum aliquid potentie divinae, sed ad ostendendum conditionem creaturæ, quæ ad hoc aptitudinem non habet...* unde relinquitur, quod sola natura humana sit assumptibilis. S. Th. hic Q. 3. a. 1. ad 1. & 4. Explico: Licet Verbum potuisset aliam substantiam completam etiam irrationali aut inanimatam assumere & accidentalem potuisset assumere ad suam existentiam, non tamen substantiam, ad quam tamen assumi posset substantia incompleta, quæ à sua comparte separabilis est. Attamen in natura humana fuit congruitas, ut assumeretur unde intantum dicitur magis assumptibilis.

**Prima Pars probatur:** Divina omnipotentia æque potuit efficienter in qualibet alia substantia unionem hypostaticam causare ac in natura humana, quia ex parte personæ assumentis est infinita virtus terminandi ejusque substantia eminenter  
subsi.

substantiam creatam continet, & ex parte naturæ assumptæ est capacitas per se subsistendi; sed quælibet substantia completa etiam irrationalis & inanimata est capax per se subsistere, & divina persona eandem substantiam eminenter continet; ergo,

*Obj.* Illam naturam non potuit Verbum assumere, quæ non est capax effectuum unionis hypostaticæ; sed natura irrationalis & inanimata non est capax horum effectuum; quia unio dat esse personale substantialiter sanctificans, ac facit principium elicitive visionis beatificæ, quæ omnia in substantia irrationali implicant.

*g.* Distinguendo Maj. Natura, quæ non est capax recipiendi effectus formales unionis hypostaticæ tam proportionatos quàm improportionatos, non potest assumi Con, quæ tantum est incapax ad effectus improportionatos non potest assumi N. forma enim tribuit effectus formales juxta capacitatem & conditionem subjecti; sic gratia sanctificans purum hominem facit filium Dei adoptivum, quem tamen effectum non habet in Christo, utpote filio Dei naturali; ità etiam personalitas divina eminenter continens varias perfectiones tribuit varios effectus, juxta capacitatem subjecti; unde in homine dat effectum formalem personalitatis sanctificantis substantialiter, constituit principium visionis beatificæ: quia in tali natura supponitur capacitas horum effectuum; si verò assumeret naturam irrationalem, daret solum effectum per se subsistendi: quia hujus effectus foret solum capax.

*Secunda Pars probatur:* Ad illum effectum potest aliqua natura hypostaticè assumi, ad quem eminenter contentum in personalitate divina habet capacitatem; sed accidens non habet ca-

pacitatem ad subsistendum, eo quod subsistere sit habere essentialia complementum substantiæ in linea substantiæ, & distinctivum à linea accidentis, & econtrà accidens habet capacitatem ad existendum; ergo divinitus potest accidens assumi ad existendum, non autem ad subsistendum.

*Obj.* Si persona divina assumeret accidens ad existendum sequerentur plures inconvenientiæ 1. accidens existeret per se, independenter à subjecto per modum substantiæ. 2. Existeret per existentiam substantialem, adeoque substantialiter: cum esse divinæ personæ sit substantiale. 3. Fieret accidens cum Deo unum per se, quod implicat, quia divina persona & accidens sunt diversi generis & ordinis, ex quibus nequit fieri unum per se. 4. Denominaret Deum aliqua forma accidentalis sicut de facto humanitas denominat Deum hominem.

*R. N. Ant.* 1. ma probatio distinguitur; accidens existeret per se Analogicè & negativè *Con.* propriè & positivè *N.* accidens potest divinitus existere extrà subjectum, cum negatione actualis inhærentiæ, prout de facto existunt accidentia Eucharistica, ex quo tamen non sequitur, quod existat propriè per se, habeatque subsistentiam, quæ reddat subiectum formaliter independens & actu & potentiâ ab alio ut subjecto, & non tantum actu destitutum subjecto.

*Ad Secundum dico.* Non esse inconveniens, quod existat accidens per existentiam substantialem illimitatam eminenter continentem existentiam accidentis, uti eminenter continet existentia divina.

*Ad 3. R.* Quæ toto genere differunt, posse facere unum, si superius trahat inferius ad esse suum.

suum, quod fieret, si persona formaliter terminaret accidens, uti fit modo, dum terminat humanitatem.

*Ad 4.* denique negatur Sequela: Quia accidentia non prædicantur adjectivè & in concreto, nisi de subjecto, quod informant, & cui inhzrent. Verum quidem tunc esset, quod persona haberet albedinem; non tamen quod esset alba.

*Tertia Pars ostenditur:* In anima rationali cui in triduo mortis mansit Verbum unitum; de aliis formis materialibus probatur à paritate accidentium materialium: licet enim illa petant esse in subjecto, quia tamen divinitus possunt esse sine subjecto, etiam possunt ad divinam existentiam assumi, quod si formæ materiales possint separari à materia, etiam possunt ad divinam substantiam assumi; unde cum materia etiam divinitus non possit separatim existere absque omni forma, etiam sine omni forma non potest ad divinam substantiam assumi.

*Obj.* Illa substantia separata à sua comparte subsisteret substantiâ partiali: cum esset substantia partialis; sed Deus non potest supplere substantiam partialem: quia involvit imperfectiorem.

*R. 1.* Negando Maj. cum probat. Quia illa substantia esset substantia entitatis partialis, non tamen esset partialis: cum non ordinaretur ad faciendam compositionem cum alia substantia, hoc enim est contra rationem substantiæ.

*R. 2.* Distinguendo Mi. Deus non potest supplere substantiam partialem quoad rationem substantiæ, quam eminenter continet N. quoad rationem partialitatis Con.

Licet verò possit assumi substantia incompleta  
à com

à comparte separabilis, non tamen econtra substantia per propriam subsistentiam terminata, ratio est: si natura creata subsistens subsistentiâ propriâ assumeretur ad personam divinam, illa simul existeret in alio & non existeret in alio: quia formalis effectus subsistentiæ creatæ adeoque essentialiter limitatæ ad hanc naturam individuum est facere illam in se & non in alio supposito subsistentem, & tamen per subsistentiam personæ divinæ natura assumpta formaliter existeret in alieno supposito; ergo simul existeret & non existeret in alio supposito.

*Adde*: Si natura creata subsistens propriâ subsistentiâ esset assumptibilis, non foret ratio, cur natura humana Christi de facto assumpta non haberet propriam personalitatem; cum tamen Concilia & SS. PP. ex unione humanitatis ad suppositum divinum inferant in Christo dari unam personam & hypostasin.

*Quarta Pars probatur*: Discursu S. Th. a. cit. O. *Congruentia attenditur secundum duo in humana natura, scilicet secundum ejus dignitatem & necessitatem. Secundum dignitatem quidem, quia humana natura in quantum est rationalis & intellectnalis, nata est attingere aliquo modo ipsum verbum per suam operationem, cognoscendo scilicet & amando ipsum. Secundum necessitatem autem, quia indigebat reparatione, cum subjaceret originali peccato. Hec autem duo soli humanæ nature conveniunt; nam creatura irrationali deest congruitas dignitatis; nature autem Angelicæ deest congruitas prædictæ necessitatis.*